

**PROPRIUM ORDINIS PRAEDICATORUM**

**R I T U A L E**

**ORDO IN ELECTIONIBUS  
SUPERIORUM SERVANDUS**

ad mentem novi iuris liturgici instauratus

auctoritate Rev.mi Patris Fr. DAMIANI BYRNE

ciusdem Ordinis Magistri

exaratus

eiusque iussu editus

**Editio typica**

**AD SANCTAE SABINAE**

**ROMAE 1992**

Regimen nostrum  
suo modo communitarium est.  
Nam Superiores,  
per electionem a fratribus factam  
et a Superiore altiori confirmatam,  
ordinarie officium consequuntur ( . . . )

Quod quidem regimen communitarium  
idoneum est ad Ordinis promotionem  
et frequentem recognitionem.  
Nam Superiores,  
et fratres per delegatos suos,  
in Capitulis generalibus  
Priorum provincialium et Diffinitorum,  
aequo iure ac libertate, communiter provident  
ut missio Ordinis promoveatur  
et ipse Ordo congrue renovetur.

Haec continua recognitio,  
non solum ob spiritum perennis conversationis christianaec  
necessaria est,  
sed etiam ob propriam vocationem Ordinis  
quae eum ad praesentiam in mundo  
unicuique generationi accommodatam  
impellit.

(cf. LCO, n. 1, § VII)

## SUMMARIUM

Prooemium . . . . .	[5]	261
---------------------	-----	-----

Normae ad electionis Superiorum ritum peragendum . . . . .	[9]	265
---	-----	-----

## IN ELECTIONE MAGISTRI ORDINIS

I. Ante electionem . . . . .	[11]	267
II. Post electionem . . . . .	[15]	271

## IN ELECTIONE PRIORIS PROVINCIALIS

I. Ante electionem . . . . .	[19]	275
II. Post electionem . . . . .	[21]	277

## IN ELECTIONE PRIORIS CONVENTUALIS

I. Ante electionem . . . . .	[23]	279
II. Post electionem . . . . .	[24]	280

## APPENDICES

I. Textus biblici . . . . .	[27]	283
II. « Professio fidei » et « Iusiurandum fidelitatis in suscipiendo Officio nomine Ecclesiae exercendo » . . . . .	[29]	285
III. Benedictiones finales . . . . .	[30]	286

## INDEX SIGLORUM

- AAS      Acta Apostolicae Sedis, Romae 1909 ss.
- ACG      Acta Capituli Generalis O.F.P.
- AG      Antiphonarium S.O.P., ed M. Gillet, Romae 1933  
[Add. 1948, 1949 et 1961].
- ASOP      Analecta Sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum,  
Romae 1893 ss.
- GR      Graduale Romanum. Abbatia Sancti Petri de Solesmis 1974.
- GOP      Graduale iuxta Ritum S.O.P., ed. E. Suárez, Romae 1949.
- LCO      Liber Constitutionum et Ordinationum Ordinis Fratrum Praedicatorum [1968], Romae 1986.
- LH      Liturgia Horarum iuxta Ritum Romanum. Editio typica altera,  
4 voll., Romae 1986.
- LHOP      Liturgia Horarum, Proprium Officiorum Ordinis Praedicatorum,  
ed. V. de Couesnongle, Romae 1982.
- MLOP      Proprium Ordinis Praedicatorum, Missale et Lectionarium,  
edd. V. de Couesnongle et D. Byrne, Romae 1985.
- MR      Missale Romanum. Editio typica altera, Romae 1975.

## PROOEMIUM

1. REGIMENTUM NOSTRUM suo modo communitarium est. Nam Superiores per electionem a Fratribus factam — et ubi casus ferat a Superiore altiori confirmatam — ordinarie officium consequuntur<sup>1</sup>.

Praestat igitur in negotiis tanti momenti, ut sunt Superiorum electiones, ritum specialem peragere ad Dei gratiam impetrandam, qua finis peculiaris ipsarum attingatur: Ordinis videlicet et cuiusque communictatis promotio eorumque congrua renovatio<sup>2</sup>. Quod ad perficiendum proponitur hic Ordo, congrue instauratus, ad mentem novi iuris liturgici.

### *De huius « ordinis » itinere*

2. De librorum liturgicorum renovatione sollicitus, Ordo noster tam de Officiorum Proprio atque Missali et Lectionario instaurandis quam de Rituali renovando curam habuit Decretis Oecumenici Concilii Vaticani II obtemperans.

Inde enim ab anno 1973-1974 Commissio specialis liturgica, huic muneri adlaborans, nonnulla elementa e *Processionario O.P.*<sup>3</sup> excerptis recognoscenda, inter quae ordo quidem « In electione Magistri Ordinis vel Prioris Provincialis vel conventualis » extabat<sup>4</sup>.

Interea Decretum Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino<sup>5</sup> praecepit: « Alii textus vel ritus proprii opportune recognoscantur iuxta mentem librorum liturgicorum instauratorum »<sup>6</sup>.

3. Exinde nova Commissio liturgica<sup>7</sup> huic muneri impense adlaborans novum ritum seu Ordinem in electionibus superiorum servandum, nonnullorum peritorum consilio, praeparavit illumque omnibus Provinciis transmisit

---

<sup>1</sup> Cf. LCO, n. 1, § VII.

<sup>2</sup> Cf. *ibid.*

<sup>3</sup> Ed. E. Suárez, Romae 1949.

<sup>4</sup> Cf. ASOP 43, a. 85, 1977, p. 137.

<sup>5</sup> Cf. Prot. CD. 671/76: ASOP 43, a. 85, 1977, pp. 138-140.

<sup>6</sup> Cf. *ibid.*, p. 140, nn. 27-30.

<sup>7</sup> Cf. MO D. BYRNE, Lett. 1 oct. 1984 (AGOP, Prot. 66/84/549); *Informaciones Dominicanas Internacionales* [IDI], nov. 1984, p. 47.

ad experimentum<sup>8</sup>. Eodem anno idem *Ordo* in Capitulo generali Romae celebrato, pro electione Magistri ordinis adhibitus fuit et collaudatus.

Inde congrue ulterius emendatus, hic *Ordo in electionibus Superiorum servandus*, universis Ordinis Provinciis traditur, ad mentem novi iuris liturgici instauratus, auctoritate Rev.mi Patris Fr. Damiani BYRNE, eiusdem Ordinis Magistri, eiusque iussu editur, hac typica editione in Analectis Ordinis, quae officiales ephemerides exstant pro Ordine nostro.

4. In huius Ritus textuum recognitione p[re]ae oculis habita sunt nostratum consuetudines necnon et ritus Ordinis prout in antiquis libris liturgicis inveniuntur<sup>9</sup>. Adhibitus est etiam fructus laboris et studii circa sectionem *Libelli precum O.P.* impensi, quae «Orationes pro peculiaribus adiunctis» inscribitur quaeque in *Proprio officiorum O.P.*<sup>10</sup> est edita.

5. Considerata sunt pariter omnia alia elementa quae praebentur velut «instrumentum laboris» vel quae iam redacta sunt, sive ad usum Ecclesiae — ut *Caeremoniale episcoporum* (1984) vel liber *De Benedictionibus* (1984) —, sive ad usum ceterorum Ordinum vel Congregationum religiosorum.

6. Ut hic *Ordo* electionis bene intelligatur et eius executio recte obseretur, in mente habeantur alia elementa Ritualis Proprii O.P. quae ei similia sunt: «Orationes pro Capitulo generali et euntibus ad illum» necnon «Ordo ad novum Superiorem recipiendum» etc.

In nostris libris antiquioribus hi Ordines praecipue concepti et oblati sunt ut «Benedictio advenientis Magistri Ordinis, Prioris provincialis et novi Prioris conventionalis»<sup>11</sup>.

Haec schemata recognita et renovata nunc pro receptione Magistri Ordinis aut Prioris provincialis in prima aut sollempni visitatione communitatis aut pro inceptione muneris Prioris conventionalis proponuntur<sup>12</sup>.

7. Hae rituales indicationes Ordinis electionis, ut par est, dimensionem illam respiciunt precum liturgicarum, qua electiones Superiorum praeditae sint oportet, iuxta antiquam traditionem nostram.

<sup>8</sup> Cf. Prot. CG/83/236-VR, die 31 iul. 1983.

<sup>9</sup> Cf. *Ordinarium O.P.* 1256, ed. L. Theissling, Romae 1921, pp. 123-125, nn. 487-489; *Caeremoniale S.O.P.*, ed A.V. JANDEL, Mechliniae 1869, nn. 1839-1846; *Horae diurnae*, ed. B.G. Paredes, Romae 1926, pp. 132\*-135\*; *Processionarium O.P.*, ed E. Suárez, Romae 1949, pp. 146-149.

<sup>10</sup> Cf. «Excerpta e Libello precum in Ordine traditarum», LHOP, pp. 757-777.

<sup>11</sup> Cf. exempli gratia, *Horae diurnae S.O.P.*, ed. B.-G. Paredes, Romae 1926, pp. 136\*-137\*.

<sup>12</sup> PROPRIUM O.P. / RITUALE, *Ordo receptionis Magistri Ordinis necnon Prioris Provincialis, vel inceptionis muneris Prioris conventionalis*, Romae 1992.

Dimensionem vero canonicam quod attinet, seu modum procedendi in electionibus — circa modalitates scilicet quae vel mutationi subsunt normarum, vel a locorum consuetudinibus dependent — vigent « Normae proceduae ... », quae evolutionem Capitulorum regunt.

*Versiones Ritualis O.P. in linguam vernaculam conficiendae*

8. Labor versionis et adaptationis huius partis « Ritualis » pertinentis ad *Proprium O.P.*, confici debet iuxta indicationes quae inveniuntur in aliis libris Liturgiae nostrae instauratae: *Proprium Officiorum O.P.*<sup>13</sup>, *Missale et Lectionarium*<sup>14</sup>. Attamen, quoad huiusmodi « Ordo electionis » attinet, haec consideranda sunt:

a) « Prooemium » et « Normae ad electionis Superiorum ritum peragendum » vertantur et, iuxta quae opportuna videantur, adaptentur contextui seu modulo Provinciarum Ordinis, servatis normis generalibus iuris liturgici circa quae adaptantur.

b) Pars inscripta « In electione Magistri Ordinis » non est sic et simpliciter vertenda. Bene vero servire potest, ut dicunt « Normae ad electionis ... » (nn. 11-17) et postea sectiones « In electione Prioris provincialis » vel conventionalis (nn. 39-76), ad redigendam, modo analogo, progressionem seu continuationem ritualem in electionibus Prioris provincialis aut conventionalis. Modus aptandi frui potest elementis biblicis vel textualibus in unaquaque Appendix propositis.

Quoad documenta dicta « Professio fidei » et « Iusurandum fidei » et quoad modum illa dicendi, serventur normae in Ecclesiis localibus receptae.

c) Si opportunum videatur, salva dimensione liturgica principali huius Ritualis, adaptamenta cuiusque Provinciae addere possunt, sive in ipso textu rituali sive in Appendix, Normas practicas de modo procedendi in eligendis Priore provinciali aut conventionali.

<sup>13</sup> Cf. MO V. de COUESNONGLE, Litt. prom. « Orationi et Praedicationi », n. 27 (LHOP, p. XXVI); « Translationes Propriet O.P. linguis vernaculis »: *Introductio generalis* nn. 72-79 (LHOP, pp. LX-LXIII).

<sup>14</sup> Cf. MO V. de COUESNONGLE, Litt. prom. « Vitae orationis », n. 24 (MLOP, pp. XIX); « De aptationibus et accommodationibus huius libri », *Introductio generalis*, nn. 51-70 (MLOP, pp. XXXVIII-XLIII).

9. Quoniam sectio haec «Ritualis» iuxta *Proprium O.P.* proponitur simul ut quaedam manuductio, pro electionibus in Monasteriis Monialium O.P. et in Congregationibus Sororum O.P. optandum est ut conficiantur versio et adaptatio huiusmodi.

Quod diversimode effici potest: forma autonoma a Rituali ad usum Fratrum, pro Monasteriis et Congregationibus; vel in connexione cum formis adaptatis pro Fratribus; vel, demum, ad modum indicationis ad utilitatem Monasteriorum aut Congregationum.

10. Quaelibet forma versionis et adaptationis huius partis nostri Ritualis, Magistro Ordinis mittenda est ut, diligenti examine peracto allatisque forte occurrentibus emendationibus, rite ab ipso approbetur.

Si quaedam vero elementa confirmatione indigeant Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, huic sunt trasmittenda.

**NORMAE AD ELECTIONIS SUPERIORUM  
RITUM PERAGENDUM**

11. Ritus elementa quae hac sectione describuntur, primo et principaliiter electionem Magistri Ordinis respiciunt. Opportunis tamen aptationibus adhiberi poterunt et pro electione Prioris provincialis vel Prioris conventualis, vel etiam Priorissae cuiusdam Monasterii vel Congregationis<sup>15</sup>.

Qua re, in illis sectionibus quae infra pro talibus electionibus proponuntur, frequens recursus ad haec elementa habetur. Item textus biblici, qui in Appendice praebentur, pro his diversis adiunctis sunt selecti.

*Orationes praeviae pro Capitulo generali vel provinciali  
et euntibus ad illud.*

12. Anno quo celebrandum fuerit Capitulum generale vel provinciale, inde ab eius inductione et ipso perdurante, ubique in Ordine, vel Provincia, preces peculiares habeantur, tempore et modo quibus melius videbitur expedire<sup>16</sup>.

*Preces in electionibus Superiorum facienda*

13. Appropinquante die pro inceptione Capituli assignata, si opportunum videatur, specialis celebratio haberi poterit in ipso Officio lectionis: sive sub forma eius protracta, sive sub peculiari forma « Vigiliarum » vel « Celebrationis Verbi ».

Praevideri etiam poterit, initio Capituli vel eo perdurante — sive in connexione cum aliqua Liturgiae Horarum parte seu cum huiusmodi Celebrazione Verbi, sive autonome — aliqua celebratio poenitentialis (sacramentalis vel non), iuxta spiritum *Ritualis de poenitentia*<sup>17</sup>, bene in lucem ponendo evangelicam conversionem, quae vitae nostrae religiosae intime cohaeret.

---

<sup>15</sup> Cf. supra « Prooemium », n. 9; « Excerpta e Libello precum in Ordine traditarum », LHOP, p. 557.

<sup>16</sup> Cf. *ibid*, pp. 757-764.

<sup>17</sup> Cf. RITUALE ROMANUM, *Ordo Paenitentiae*, ed. typica, Romae 1974.

14. Ad hunc finem quaedam elementa infra traduntur, attamen nonnisi ut specimina seu indicationes quaedam ad excitandam fecunditatem creationum novarum; salva igitur libertate omnium Capitulorum diversa elementa ad libitum seligenda.

15. Ipsa die pro inceptione Capituli assignata, celebretur Missa de Spíitu Santo, iuxta rubricas, qua celebratione Capitulum incipit<sup>18</sup>.

16. Capituli coadunati dignitate spectata, convenit iuxta liturgiam renovatam ut liber Evangeliorum honorifice deferatur in ingressu concelebrantium, comitantibus acolytis cum cereis accensis, et super altare deponatur. Lecto autem evangelio, liber apertus in pluteum idoneum imponitur in medio presbyterii. Quod laudabiliter servabitur Capitulo perdurante.

Post homiliam fiant, in oratione fidelium, supplications pro felici exitu Capituli, pro vivis et defunctis<sup>19</sup>.

17. Expedit vero ut, praeter Missam ceterasque publicas orationes, quae communiter habentur, aliae quoque preces habeantur, sive a singulis sive praesertim a diversis coetibus ad hoc coadunatis.

<sup>18</sup> Cf. LCO, n. 417, § II.

<sup>19</sup> Cf. LCO, n. 417, § II.

## IN ELECTIONE MAGISTRI ORDINIS

### I. ANTE ELECTIONEM

#### RITUS INITIALES

18. Ad hunc ritum peragendum aula capitularis deligitur. Completa Missa de Spiritu Sancto atque electoribus coadunatis tempore et loco statutis, sessio capitularis electiva inchoatur cantu antiphonae:

Ant. Ubi duo vel tres congregáti fúerint in nómine meo, in  
médio eórum sum, dicit Dóminus. (AG 438)

Vel ant. *Ubi cáritas* (GR, 168), vel alius cantus congruus.

19. Cantu initiali absoluto, Praeses Capituli astantes salutat more solito eosque idoneis verbis alloquitur prout ipsi melius videbitur.

#### LECTIO VERBI DEI

20. Statim post Praesidis monitionem, brevis ex Sacra Scriptura lectio appropriata haberi poterit. Itaque lector, cui antea commissum fuerit, ad locum aptum accedens lectionem legit, quam omnes sedentes auscultant.

Phil 2, 2-7: «*Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu*».

Idem sapiátis, fratres, eándem caritátem habéntes, unánimes, idípsum sapiéntes, nihil per contentiónem neque per inánem glóriam, sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, non, quae sua sunt, sínsguli considerántes, sed et ea, quae aliórum. Hoc sentíte in vobis, quod et in Christo Iesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitrátus est esse se aequálem Deo, sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens.

Verbum Dómini.

Rv. Deo grátias.

Vel alia lectio, ex iis quae ad libitum seligendae indicantur infra in Appendice (nn. 77-78, 80).

21. Congrua silentii pauca expleta, cantor psalmum intonat quem omnes alternatim prosequuntur; vel ipse cantor psalmum dicit, Capitularium choro responsoriū proferente.

**Psalmus responsorius**

Ps 24, 1-2. 4bc-5ab. 6 et 7 bc. 8-9. 10 et 14 (R<sup>y</sup>.: 9b)

R<sup>y</sup>. *Docébit mites vias suas Dóminus.*

<sup>1</sup> Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, \*

<sup>2</sup> Deus meus, in te confido: non erubéscam. R<sup>y</sup>.

<sup>3</sup> Vias tuas, Dómine, demónstra mihi \*  
et sémitas tuas édoce me.

<sup>5</sup> Dírige me in veritáte tua et doce me, †  
quia tu es Deus salútis meae, \*  
et te sustínui tota die. R<sup>y</sup>.

<sup>6</sup> Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, \*  
et misericordiárum tuárum,  
quóniam a sáeculo sunt.

<sup>7</sup> secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu, \*  
propter bonitátem tuam, Dómine. R<sup>y</sup>.

<sup>8</sup> Dulcis et rectus Dóminus, \*  
propter hoc peccatóres viam docébit;

<sup>9</sup> díriget mansuétos in iudício, \*  
docébit mites vias suas. R<sup>y</sup>.

<sup>10</sup> Univérsae viae Dómini misericórdia et véritas \*  
custodiéntibus testaméntum eius  
et testimónia eius.

<sup>14</sup> Familiáriter aget Dóminus cum timéntibus eum, \*  
ut testaméntum suum manifestétur illis. R<sup>y</sup>.

Vel aliis textus ex iis qui libere seligendi indicantur infra in Appendice (n. 79).

### INVOCATIO SPIRITUS SANCTI

22. Deinde, antequam ad electionem procedatur, statim Spíritus Sancti invocatio habeatur ritu qui infra describitur vel alio modo, iuxta loci consuetudines, aptiore.

Praecinente cantore, inchoatur flexis genibus Hymnus *Veni, créátor Spíritus*, quem inde stando omnes alternatim prosequuntur.

### HYMNUS

Veni, créátor Spíritus,  
mentes tuórum vísita,  
imple supérra grátia,  
quae tu creásti, péctora.

Qui díceris Paraclitus,  
donum Dei altíssimi,  
fons vivus, ignis, cáritas,  
et spiritális úncio.

Tu septifórmis múnere,  
dextrae Dei tu dígitus,  
tu rite promíssum Patris  
sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus,  
infúnde amórem córdibus,  
infírma nostri córporis  
virtúte firmans pérfici.

Hostem repéllas lóngius  
pacémque dones prótinus;  
ductóre sic te práevio  
vitémus omne nóxiúm.

Per te sciámus da Patrem  
noscámus atque Fílium,  
te utriúsque Spíritum  
credámus omni témpore. Amen.

(LH II, 812; cf. AG, 530)

23. In fine cantus, a Praeside additur:

V. Kyrie eléison

R. Kyrie eléison.

V. Christe eléison.

R. Christe eléison.

V. Kyrie eléison

R. Kyrie eléison.

Omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

Orémus.

Sancti Spíritus, Dómine,  
corda nostra mundet infúsio,  
et sui roris íntima aspersióne fecúndet.  
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Vel:

Adsit nobis, quáesumus Dómine,  
virtus Spíritus Sancti,  
quae et corda nostra cleménter expúrget  
et ab ómnibus tueátur insídiis.  
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Vel:

Preces nostraras, quáesumus Dómine, benígnus exáudi,  
et quia nobis de tua bonitáte confídere largíris,  
intercedénte beáto Domínico, patre nostro,  
pro nostro Ordine idóneum Magístrum concédere dignérис,  
qui se exístimet non potestáte dominántem  
sed caritáte serviéntem felícem,  
quique per viam sapiéntiae ac sanctitátis incédens  
famíliam nostram dominicánam univérsam  
ad vocatiónis plenitúdinem perdúcatur.  
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

24. Spiritu Sancto invocato, Praeses, Scrutatores et Actuarius iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione<sup>20</sup>, sequenti vel simili formula:

« Ego Fr. N. in suscipiendo munere  
[práesidis/scrutatóris/actuárii] huius Capítuli,  
promítto quod ipsum munus fidéliter implébo  
atque secrétum servábo circa acta in comitiis,  
etiam expléta electióne.  
Sic me Deus ádiuvet et haec sancta Dei Evangélia,  
quae mánibus meis tango ».

25. His praehabitis, ad ipsum actum electionis proceditur, more apud nos consueto<sup>21</sup>.

## II. POST ELECTIONEM

### RITUS PRAELIMINARES

26. Electio rite peracta illico intimanda est electo, si praesens fuerit, modo sequenti:

Ego fr. N., huius Capítuli generális  
primus Scrutátor [Praeses],  
decláro te fr. N.  
rite eléctum fuísse in Magístrum Ordinis Praedicatórum.  
Acceptásne hoc offícium?

R. Accépto, et ádiuvet me Dei grátia.

Ergo te proclámo legítimum Magístrum  
univérsi Ordinis Praedicatórum.

Tunc Praeses Capítuli dat pacem electo, iuxta consuetudinem loci, caritatem omnium Fratrum ei significans.

<sup>20</sup> Cf. LCO, n. 452, 1º.

<sup>21</sup> Cf. LCO, nn. 448-455; 526-536.

27. Electione facta et acceptata, convocentur omnes Fratres in conventu praesentes et publicetur nomen electi<sup>22</sup>.

### PROCESSIO AD CHORUM

28. Deinde cantor incipit Hymnum *Te Deum*, quem Fratres devote prosequentes ad chorum vadant, si ita videbitur expedire, non servato processionis ordine.

Duo vero Piores provinciales, qui primum locum tenuerint, unus ad dexteram Magistri, si praesens fuerit, et alter ad sinistram, ducant ipsum ante gradus altaris vel presbyterii ubi, flexis genibus, prostratus maneat quoque infrascripta oratio terminetur.

29. Expleto *Te Deum*, prior ex duobus Prioribus provincialibus praedictis immediate dicat:

- ℣. Salvum fac servum tuum.
- ℟. Deus meus, sperántem in te.
- ℣. Dóminus vobíscum.
- ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Concéde, quáesumus, omnípotens Deus,  
ut fámulum tuum N.,  
quem ad régimen animárum nostrárum elégimus,  
dono tuae grátiae prosequáris,  
ut, te largiénte, cum ipsa nostra electióne tibi placeámus.  
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

30. Postmodum duo praedicti Piores erigant eum et ducant ad chorum et collocent in sedem suam, si pro adjunctis res ita fuerint dispositae.

### REDITUS AD AULAM CAPITULARREM

31. Interea, postquam Magister fuerit in sede sua, Capitulo pulsato iterum, conveniant Fratres ad capitularem aulam sine processionis ordine, Magistro ultimo procedente.

<sup>22</sup> Cf. LCO, n. 535.

32. Cum illuc venerint et Magister sederit in sede sua, altera ex Sacra Scriptura lectio, circumstantiae congruens, legi poterit.

Lc 22, 24-32: «*Per ministerium et fidem confirma fratres tuos*».

In illo tempore:

Facta est conténtio inter discípulos, quis eórum viderétur esse maior. Dixit autem eis Iesus: Reges géntium dominántur eórum et, qui potestátem habent super eos, benéfici vocántur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut iúnior, et qui praecéssor est, sicut ministrátor. Nam quis maior est, qui recúbit, an qui minístrat? Nonne qui recúbit? Ego autem in médio vestrum sum sicut qui minístrat.

Vos autem estis qui permansístis mecum in tentatióibus meis; et ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo.

Simon, Simon, ecce Sátanas expetívit vos, ut cribráret sicut tríticum; ego autem rogávi pro te, ut non defíciat fides tua. Et tu, aliquándo convérsus, confírma fratres tuos.

Verbum Dómini.

Rv. Deo grátias.

Vel alia lectio, ex iis quae ad libitum seligendae indicantur infra in Appendice (nn. 77, 78, 80).

33. Post aliquod silentii spatum Magister, si est præsens, professionem fidei emittit (cf. infra in Appendice, n. 81). Deinde sedens in sede sua, Fratrum orationibus se commendet, et alia, si qua voluerit proponere, proponat.

## RITUS CONCLUSIONIS

34. His expletis, cani poterit Responsorium *O spem miram* vel alia S.P. Dominicí antiphona propria seu cantus appropriatus.

35. In fine Magister dicat:

V. Adiutorium nostrum in nómine Dómini.

Rv. Qui fecit caelum et terram.

V. Sit nomen Dómini benedictum.

R. Ex hoc nunc et usque in sáeculum.

Orémus.

Confírma, Dómine, quáesumus,  
tuórum corda fidélium,  
et grátiae tuae virtúte corróbora,  
ut et in tua sint supplicatióne devótí  
et mútua dilectione sincéri.

Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Post orationem ipse Magister subdit:  
Et benedictio Dei omnipoténtis,  
Patris, et Fílli, ☧ et Spíritus Sancti,  
descéndat super vos et máneat semper.

R. Amen.

Vel alia formularia ut in Appendice (nn. 83-84).

36. Si vero Magister non fuerit praesens, nihilominus post electionem convocato Capitulo, et nomine electi publicato, cantetur *Te Deum* et eatur ad Chorum ubi dicatur Versiculus *Salvum* fac cum Oratione *Concéde* ut supra. Secundo tamen non oportet Fratres ad Capitulum convenire.

37. Interea Magister, si eum a Capitulo abesse contigerit, instituat Vicarium ex vocalibus assumptum qui suas vices in omnibus gerat<sup>23</sup> iuxta determinationes quae in « Normis procedurae ... » inveniuntur.

38. Magister, ubi primum advenerit, « Professionem fidei » coram Capitulo emittat, antequam ullum actum ut Magister Ordinis faciat<sup>24</sup>, necnon et « Iusiurandum fidelitatis in suscipiendo officio nomine Ecclesiae exercendo », privatum coram duobus testibus, aptis adhibitis formulis iure statutis (cf. infra in Appendice, n. 82).

<sup>23</sup> Cf. LCO, n. 417, § III.

<sup>24</sup> Cf. LCO, n. 536.

## IN ELECTIONE PRIORIS PROVINCIALIS

### I. ANTE ELECTIONEM

#### ANTE CELEBRATIONEM CAPITULI

39. Ante celebrationem Capituli provincialis electivi, expedit ut communitates Provinciae et tota Familia Dominicana preces fundat pro bono ipsius Capituli processu ac pro felici eiusdem exitu, sicut in Normis generalibus dictum est (n. 12).

40. Ante initium Capituli, optandum quoque est ut aliquae indicationes dentur circa rhythmum et stilum celebrationum liturgicarum et horas in quibus Eucharistia celebranda atque Divinum Officium persolvendum erit.

Insuper, tempore opportuno, invitari poterit — si mos est — quidam sacerdos qui in Missa de Spiritu Sancto, in initio Capituli, homiliam pronuntiet.

41. Indicationes quae hic proferuntur pro electione Prioris provincialis, etiam pro electione Vice-Provincialis vigent.

Pro electione vero Vicarii generalis, determinationi Statuti Vicariatus generalis obtemperandum est, servatis quidem orientationibus et normis huius 'Ordinis electionis', opportunis attamen allatis mutationibus.

#### RITUS INITIALES

42. Capitulum incipiat celebratione Missae de Spiritu Sancto iuxta Normas generales (n. 16) peracta. Post homiliam fiant, in oratione fidelium, supplicationes pro felici exitu Capituli, pro vivis et defunctis, nominatis iis qui ab ultimo Capitulo in Domino obierunt<sup>25</sup>.

43. Praestat autem huic celebrationi adesse etiam Familiam Dominicam, praesertim illam quae cum conventu, ubi Capitulum celebratur, peculiares relationes habet.

44. Expleta Missa de Spiritu Sancto atque electoribus coadunatis tempore et loco statutis, sessio capitularis electiva inchoari poterit cantu cuiusdam antiphonae appropriatae (cf. supra, n. 18).

---

<sup>25</sup> Cf. LCO, n. 358, § II.

45. Cantu initiali absoluto, Praeses Capituli astantes salutat more solito eosque idoneis verbis alloquitur prout ipsi melius videbitur expedire.

### LECTIO VERBI DEI

46. Statim post Praesidis monitionem, expedit ut brevis ex Sacra Scriptura lectio appropriata habeatur: v.g. Phil 2, 2-7 (cf. supra, n. 20), vel alias textus ex iis qui ad libitum seligendi proponuntur infra in Appendice (nn. 77, 78, 80).

Itaque lector, cui antea commissum fuerit, ad locum aptum accedens lectionem legit, quam omnes sedentes auscultant. Qua expleta et congrua silentii pauca interiecta, cantus Psalmi responsorii cum suo versu habeatur, prout supra indicatum est (n. 21).

### INVOCATIO SPIRITUS SANCTI

47. Deinde, antequam ad electionem procedatur, statim Spiritus Sancti invocatio habeatur, ritu qui supra pro electione Magistri Ordinis describitur (nn. 22-23).

### IUSIURANDUM DE MUNERE FIDELITER IMPLEENDO AC DE SECRETO SERVANDO

48. Spiritu Sancto invocato, Praeses, Scrutatores et Actuarius iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione<sup>26</sup>, sequenti [vel simili] formula:

« Ego Fr. N. in suscipiendo munere  
[praesidis/scrutatoris/actuarii] huius Capituli,  
promitto quod ipsum munus fideleriter implabo  
atque secretum servabo circa acta in comitiis,  
etiam explēta electiōne.  
Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangélia  
quae manibus meis tango ».

49. His praehabitis, ad ipsum actum electionis proceditur, more apud nos consueto<sup>27</sup>.

<sup>26</sup> Cf. LCO, n. 452, 1º.

<sup>27</sup> Cf. LCO, nn. 448-455; 526-536.

## II. POST ELECTIONEM

## RITUS CONCLUSIONIS

50. Electione rite peracta, convocentur omnes Fratres in conventu praesentes et publicetur nomen electi.

Tunc Praeses dat pacem electo, si praesens fuerit, iuxta consuetudinem loci, caritatem omnium Fratrum ei significans.

51. Deinde brevis ex Sacra Scriptura lectio appropriata haberi potest: e.g. Lc 22, 24-32 aliasve textus ex iis qui libere seligendi infra traduntur in Appendice (nn. 77-80).

52. Post aliquod silentii spatium, cani poterit Responsorium *O spem miram* vel alia S. P. Dominici antiphona propria seu cantus aptus.

53. Denique Vicarius provincialis seu Praeses Capituli, si non est electus, alioquin Prior conventionalis qui primum locum tenet, dicat:

V. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

R. A templo sancto tuo quod est in Ierusalem.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Concédé quásimus, omnípotens Deus,  
ut fámulum tuum N.,  
quem ad régimen animárum nostrárum elégimus,  
dono tuae grátiae prosequáris;  
ut, te largiénte, cum ipsa nostra electióne tibi placeámus.  
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Vel:

Omnípotens sempitérne Deus qui facis mirabília magna solus,  
praeténde super fámulum tuum N.  
et super communitátem illi commíssam  
Spíritum grátiae salutáris;  
et, ut in veritatē tibi compláceat,  
perpétuum ei rorem tuae benedictiónis infúnde.  
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Deinde dicat:

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

54. Et sic discedant Fratres, nisi Prior vel Electus, si est praesens, voluerit eos retinere.

### RITUS FINALES

55. Post electionis confirmationem et electi acceptationem, antequam ullum actum sui officii faciat, Prior provincialis nuper electus et confirmatus quamprimum « Professionem fidei » et « Iusiurandum fidelitatis in suscipiendo officio nomine Ecclesiae exercendo » emittat, adhibitis formulis aptis iure statutis (cf. infra, nn. 81-82). « Professio fidei » coram Capitulo fiat, « Iusiurandum » vero privatim coram duobus testibus.

56. Si Electus vel Postulatus non est praesens in Capitulo, conventus ubi Capitulum celebratur recipiat eum post confirmationem et acceptationem electionis, Ordine pro receptione Superiorum adhibito.

57. Electus vero, ubi primum advenerit, « Professionem fidei » et « Iusiurandum fidelitatis » ut supra emittat (n. 55).

### ORATIONES DIEBUS CAPITULI FACIENDAE

58. Statutum Provinciae determinet typum orationum et intercessionum quas communitates ad Dominum dirigant diebus Capituli, iuxta Proprium Ordinis<sup>28</sup>.

59. Insper electione Prioris provincialis confirmata et acceptata, una cum Familia Dominicana liturgicam caeremoniam aut Horam Officii laudabiliter celebrari potest.

Deinde etiam momenta aliqua laetitiae cum Fratribus communitatis aliisque membris Familiae Dominicanae expedit ut habeantur.

---

<sup>28</sup> Cf. « Excerpta e Libello precum in Ordine traditarum », LHOP, pp. 557-564.

## **IN ELECTIONE PRIORIS CONVENTUALIS**

### **I. ANTE ELECTIONEM**

#### **ANTE CELEBRATIONEM CAPITULI**

60. Diebus electionem Prioris conventualis praecedentibus, secundum normas Statuti Provinciae, communitas Fratrum et Familiae Dominicanae membra quae ad conventum relationem habent, preces pro felici exitu Capituli fundant.

61. Tempore convenienti Supprior in capite, si ei opportunum visum fuerit, alium fratrem invitare poterit qui homiliam praedicet in Missa de Spiritu Sancto, in initio Capituli.

#### **RITUS INITIALES**

62. Ipsa die electionis vel die praecedenti, celebretur Missa de Spiritu Sancto, iuxta rubricas<sup>29</sup>. Membra quoque Familiae Dominicanae, quae ad conventum relationem habent, huic celebrationi bonum est associari, congrua cum participatione. Post homiliam fiant, in oratione fidelium, supplications pro felici exitu Capituli, pro vivis et defunctis, iuxta determinationem Statuti provinciae<sup>30</sup>.

63. Die pro inceptione Capituli assignata, electoribus coadunatis tempore et loco statutis, sessio capitularis electiva inchoari poterit cantu alicuius antiphonae appropriatae, sicut pro electione Magistri Ordinis dictum est (n. 18).

64. Cantu initiali absoluto, Praeses Capituli astantes salutat more solito eosque idoneis verbis alloqui poterit prout ipsi melius videbitur.

#### **LECTIO VERBI DEI**

65. Statim post Praesidis monitionem, brevis ex Sacra Scriptura lectio appropriata haberi poterit: e.g. Phil 2, 2-7 (cf. supra, n. 20), vel alias textus ex iis qui ad libitum seligendi proponuntur infra in Appendice (nn. 77-80).

---

<sup>29</sup> Cf. LCO, nn. 75 et 16.

<sup>30</sup> Cf. LCO, n. 451.

Itaque lector, cui antea commissum fuerit, lectionem legit, quam omnes sedentes auscultant. Qua expleta, congrua silentii pauca servetur.

### **INVOCATIO SPIRITUS SANCTI**

66. Deinde, antequam ad electionem procedatur, statim Spiritus Sancti invocatio habeatur, ritu qui supra describitur (nn. 22-23) absque cantu.

### **IUSIURANDUM DE MUNERE FIDELITER IMPLENDΟ AC DE SECRETO SERVANDΟ**

67. Spiritu Sancto invocato, Praeses, Scrutatores et Actuarius iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam electione expleta<sup>31</sup>, sequenti formula:

« Ego Fr. N. in suscipiendo munere  
[praésidis/scrutatóris/actuárii] huius Capítuli,  
promitto quod ipsum munus fidéliter implébo  
atque secrétum servábo circa acta in comítiis,  
etiam expléta electiōne.  
Sic me Deus ádiuvet et haec sancta Dei Evangélia,  
quae mánibus meis tango ».

68. His prachabitis, ad ipsum actum electionis proceditur, more apud nos consueto<sup>32</sup>.

## **II. POST ELECTIONEM**

### **RITUS CONCLUSIONIS**

69. Electione rite peracta, convocentur omnes Fratres in conventu praesentes et publicetur nomen electi.

Tunc Praeses Capituli dat pacem electo, si praesens fuerit, iuxta consuetudinem loci, caritatem omnium Fratrum ei significans.

70. Deinde brevis ex Sacra Scriptura lectio appropriata haberi poterit: e.g. Lc 22, 24-32 aliasve textus ex iis qui libere seligendi infra traduntur in Appendice (nn. 77-80).

<sup>31</sup> Cf. LCO, nn. 75 et 16.

<sup>32</sup> Cf. LCO, nn. 448-455; 526-536.

71. Post aliquod silentii spatium cani poterit Responsorium *O spem miram*, vel alia S. P. Dominici antiphona propria seu cantus appropriatus.

72. Denique Supprior in capite seu Praeses Capituli, si non est electus, vel ex Fratribus primus secundum ordinem professionis, dicat absque cantu:

V. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

R. A templo sancto tuo quod est in Ierusalem.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Concéde quáesumus, omnípotens Deus,  
ut fámulum tuum N.,  
quem ad régimen animárum nostrárum elégimus,  
dono tuae grátiae prosequáris;  
ut, te largiénte, cum ipsa nostra electióne tibi placeámus.  
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Vel:

Omnípotens sempiterne Deus qui facis mirabília magna solus,  
praeténde super fámulum tuum N.  
et super communitátem illi commíssam  
Spíritum grátiae salutáris;  
et, ut in veritaté tibi compláceat,  
perpétuum ei rorem tuae benedictiónis infúnde.  
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Deinde dicat:

V. Adiutorium nostrum in nōmine Dómini.

R. Qui fecit caelum et terram.

73. Et sic discedant Fratres quoisque électio peracta a Priore provinciali confirmata et ab electo acceptata fuerit.

**RITUS FINALES**

74. Post electionis confirmationem et electi acceptationem, Prior nuper electus et confirmatus, si praesens fuerit vel ubi primum advenerit, « Professionem fidei » coram Capitulo emittat, antequam ullum actum ut Prior conventus faciat, necnon privatim etiam « Iusurandum fidelitatis in suscipiendo officio nomine Ecclesiae exercendo », adhibitis formulis aptis iure statutis ut in Appendice (cf. infra, nn. 81-82).

75. Si Electus (vel Postulatus) non est praesens in Capitulo, conventus qui **eum** elegit ipsum cum advenerit recipiat, *Ordine receptionis superiorum* servato, cum Oratione *Concéde* vel *Omnípotens* ut supra.

76. Occasione huius receptionis seu in initio muneris novi Prioris, aliqua liturgica celebratio laudabiliter haberi potest, cum Familiae Dominicanae membrorum congrua participatione, ad Dei gratiam implorandam ac fraternitatem fovendam (cf. n. 59).

## **APPENDICES**

### **I**

#### **TEXTUS BIBLICI**

#### **LECTIONES E VETERE TESTAMENTO**

77.

1. Deut 30, 10-14: « *Iuxta te est sermo ut facias illum* ».  
Locutus est Moyses populo dicens: Audies vocem Domini Dei tui, et custodies praecepta eius .. et reverteris ad Dominum ...
2. Reg 8, 55-61: « *Benedictus Dominus qui dedit requiem populo suo* ».  
In diebus illis: Stetit Salomon rex et benedixit omni ecclesiae Israel ...
3. Is 61, 1-3a: « *Unxit me Dominus et evangelizare pauperibus misit me ...* ».  
Spiritus Domini super me ...

#### **LECTIONES E NOVO TESTAMENTO**

78.

1. Act 1, 14-24. 25a. 26; 2, 42. 44-47a: « *Erant perseverantes unanimiter in oratione* ».  
In diebus illis, erant (omnes apostoli) perseverantes ...
2. Rm 12, 2-3. 16. 17. 19; 13, 8: « *Habemus donationes secundum gratiam quae data est nobis differentes* ».  
Nolite conformari huic saeculo ...
3. 1 Thess 5, 12-15. 24: « *Fidelis est, qui vocat vos, qui etiam faciet* ».  
Rogamus vos, fratres ...

## PSALMI RESPONSORII

79.

1. Ps 79, 2ac et 3b. 5-7 (R.: 4b): « *Qui pascis Israel, intende* ».  
R/. Illústra fáciem tuam, Dómine, et salvi érimus.
2. Ps 88, 4-5. 21-22.25.27 (R/: cf. 2a): (*Disposui testamentum electo meo* ).  
R/. Misericórdias tuas, Dómine, in aetérnum cantábo.
3. Ps. 122, 1-2 (R/: cf. 2cd): « *Ad te levavi oculos meos* ».  
R/. Oculi nostri semper ad Dóminum.
4. Ps 132, 2.3 (R/: cf. 1): « *Ecce quam bonum* ».  
R/. Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!

## EVANGELIA

80.

1. Mt 20, 25-28: « *Qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus* ».  
In illo tempore: Ait Iesus discipulis suis: scitis quia principes gentium ...
2. Io 4, 37-38. 36: « *Alius est qui seminat et alius qui metit* ».  
In hoc est verbum verum ...
3. Io 4, 33-38: « *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me* ».  
In illo tempore: Dixit discipulis suis Iesus ...
4. Io 10, 1-2. 7. 9-10. 14a. 15b. 18b.: « *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* ».  
In illo tempore: Dixit Iesus: Amen, Amen, dico vobis ..
5. Io 15, 8. 15-16. 20: « *Ego elegi vos, et posui vos, ut fructum afferatis* ».  
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sicut dilexit me Pater ...